Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Dissertatio Inauguralis Iuris Publici De Coexercitio, Sive Simultaneo Utriusque Romano-Catholicae Ac Evangelicae Religionis Exercitio Licito Ac Illicito

Schweder, Gabriel
Burgermeister von Deizisau, Gabriel Franz

Tubingae, 1727

VD18 11378891

Thesis I.

urn:nbn:de:bsz:31-130851

Visual Library

guſtiſſimi Imperatoris & omnium Electorum, Principum & Statuum Imperii Aulis & Curiis ſolicite actum ac conſultatum fuit, de *Simultaneo* nimirum *Romano-Catholicæ Religionis Exercitio; num hoc ſalva Pace Weſtphalica à Principe Romano-Catholico, qui Religionem iſtam forte noviter amplexus, aut Principi Auguſtanæ Confeſſioni addicto, in ſuo Principatu, in quo hactenus ſola Religio Evangelica & ejus Exercitium viguit, ſucceſſit, contra Statum Anni 1618. vel 1624. introduci poſſit? aut contrà fortè?* Sed ſine omni præjudicio cujusvis; novi enim benè, non mihi, ſed Sacratiſſimo Imperatori, Statibusque Imperii dubii illius Deciſionem competere, ceu quibus Authentica LL. Imperii Interpretatio merito relinquenda, vi ipſius Inſtrumenti Pacis Weſtphalicæ *Art. VIII. §. Gaudeant. 2.*

Sit ergo B. C. D.

Theſis I.

CONſtat cuique aperte, dari in Imperio Romano-Germanico Civitates quasdam Imperiales, in quibus utraque Religio & Evangelica & Romano-Catholica à Magiſtratu & Civibus

bus autoritate publica introducta & ſtabilita eſt, atque ſub communi Civitatis protectione exercetur, ut ſunt Auguſta Vindelicorum, Dunckelſpula, Biberacum, Ravenſpurgum; Inſtrum. Pacis Weſtphal. *Art. V. §. 3.* quibus adjungitur *d. Art. V. §. 29.* Kauffbeura. Quæ tamen renuit Civitatibus mixtis accenſeri, apud Londorp. *Tom. Act. Publicorum XVIII. Lib. XXI. Cap. V. Num. VII. VIII. pag. 84.* Contra Hagenoam in Alſatia talem Civitatem mixtam eſſe, Evangelici ſuſtinere ſategerunt. Vid. Author Meditat. ad Inſtrum. Pac. Weſtphal. *Spec. III. ad Art. V. §. 29. pag. 444.* Sed Catholici eam ad puras Catholicas retulerunt. Idem *pag. 456.*

Theſis II.

Quod de duplici utriusque Religionis Exercitio in his Civitatibus Imperii mixtis vigente diximus, ratione Catholicæ Religionis non de quovis, aut quacunque ratione in Civitate aliqua introducto Exercitio, ſed de eo ſaltem, quod à Magiſtratu & Civibus Decreto publico introductum eſt, atque ita Civibus ſuo jure, ſive in propriis, ſive in communibus templis, longo uſu & obſervantia competit, exaudiendum eſt, ne alioquin & illæ Civitates, in quibus aliqui Catholicæ Religioni addicti Cives commorantur, proprio tamen exercitio ac templo deſtituti, illoque ſaltem in Cœnobiis & Monaſteriis ibi ſitis fruuntur, pro mixtis Civitatibus contra poſitionem Inſtrumenti Pacis *Art. V. §. 29.* venditentur; hujusmodi enim Civitates Imperii, non attentis hisce Monaſteriis ſeu Cœnobiis ibi repertis, pro Civitatibus unius Religionis habentur, uti ſunt Ratisbona, Ulma, Lindavia, Iſna, & plures aliæ.